

Bibliothèque numérique

medic@

**Lecorche Colombe, Franciscus-Maria.
- De ulceribus et carinomate uteri et
vaginae**

1830.

Paris : Typis Viduae Thuau

Cote : 90975

7.
COMPETITIO AD AGGREGATIONEM
JUSSU REGIS ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS
MAGISTRI, INSTITUTA ANNO 1830.

DE ULCERIBUS ET CARINOMATE

UTERI ET VAGINÆ.

THESES

Quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Parisiensi, præ-
sentibus competitionis judicibus, publicis disputationibus
subjectas tueri conabitur, die martis januarii 1830.

LECORCHE COLOMBE (FRANCISCUS-MARIA), D. M. P.;

PRIVATUS IN ARTE OBSTETRICIA PROFESSOR, ETC.

Ant lenire,
Ant seca. (Lecat.)



PARISIIS,

TYPIS VIDUÆ THUAU,

Via vulgò dictâ Cloître-Saint-Benoît, n° 4.

M. DCCC. XXX.

0 1 2 3 4 5 (cm)

COMPETITIONIS JUDICES.

DELENS.
BAUDELOQUE.
BOUGON.
DÉSORMEAUX.
DUBOIS (PAUL.)
DUPUYTREN.
LISFRANC.
ORFILA.

COMPETITORES.

MAINGAULT.
L. COLOMBE.
SANSON.
DELMAS.
HALMA-GRAND.
BOYER.
JOBERT.
MARÉCHAL.
LAUGIER.
GUERSENT.
GINIEZ.
THIERRY.
VIDAL.
BÉRARD.

DE ULCERIBUS

ET CARCINOMATE

UTERI ET VAGINÆ.

DE CARCINOMATE GENERATIM CONSIDERATO.

Omnes carcinomatis definitiones generatim acceptæ, et collatis uteris quantumvis ingeniosæ sint, multa desideranda relinquunt.

Carcinoma, dixerunt Peyrhille et professor Richerand, est morbus tam difficilis definitu quam sanatu. Enim vero, quomodò sub solâ denominatione possunt comprehendi illæ conversiones et modificationes variæ quas exhibet carcinoma uteri in suis differentibus periodis?

Modò sub ulceris formâ mutat, vitiat, destruit illius textus naturam; modò durum, squirrosum, cartilagosum, lardaceum collum cancerosum suam formam, suamque normalem consistentiam amittit. Denique simul ac pervenit ad quemdam degenerescentiæ gradum, suus textus ex duro mutatur in substantiam mollem gelatinosam, ancephaloidam.

Qualescumque sint formæ variæ quas primùm induit, quas in suo cursu exhibet, attamen carcinomati sunt signa anatomici constantia, adveniente quodam tempore, ex quibus agnoscitur. Semper animadvertuntur nonnulli horum textuum qui illud designant, qualescumque sit organum quod afficiat; illæ decompositiones moles illæ homogeneæ hos textus accidentales

plus vel minus commixtos offerunt, quosque supra enumeravimus.

DE CAUSIS.

Causæ carcinomatis cervicis uteri sunt variæ : aliæ prædisponentes, aliæ efficientes.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Plerique autores quamdam prædispositionem susceptibilitatem occultam (professor Récamier, *Recherches sur le Cancer*, p. 230; 2 vol.) susceptibilitati anevrismaticæ, variolicæ, similem admiserunt; nonnulli hanc organorum susceptibilitatem Diathesim cancerosam vocavêre (Bayle, Cayol, Delpech). Quamvis hæc affectio definiri nequeat attamen existere videtur; in individuis et organis varia, infaustam prædilectionem exhibet in certa organa, præcipuè conspicua in organis superficialiter positis corporum exteriorum contactui obnoxiiis; qualiæ sunt cutis faciei lingua, mamma, generationis organa utriusque sexûs, etc., et in omnes corporis partes quæ simul maxima fruuntur sensibilitate.

Sub illo duplici respectu causæ, quidem occasionales externa et interna illa organa facillimè attingere possunt.

Hæc latens dispositio brevi sub quædam excitatione externa vel interna apparere potest sine qua diu latebit. Ea tamen dispositio organica primum suscitata est localis et destrui potest in organo quod afficit, per compressionem vel ablationem : sed ubi ad quemdam gradum pervenit, se extendit, corrumpit sub nomine cachexiæ alia organa quæ invadit, quorum susceptibilitatem suscitatur et tunc fit insanabilis.

Ex ætate. — Adhuc considerari potest causa prædisponens, hujusce affectionis quæ parcere videtur duobus extremis vitæ

temporibus silicet infantiae in quâ torpent sensibilitas horum-
que organorum functiones et senectuti, tempori quietis et tran-
quillitatis apparatus generationis et cupiditatibus quas accendit.

Hæc affectio sævit præcipuè a vigesimo et quinto anno usque
ad quinquagesimum annum, sed præsertim a quatuor decimo
ad quinquagesimum : tempora notabilia prius vitabilitate fer-
vida uteri, posterius cessatione menstruationis.

Ex hereditate. — Aliquos autores, inter quos numeramus
professorem Récamier, opinantur hanc dispositionem hanc sus-
ceptibilitatem affectibus cancerosis per hereditatem posse trans-
mitti verbigratiâ germen phthisiæ dispositiones morales et phy-
siciæ, etc. Aliquot observationibus suam confirmat opinionem
(in opere citato, p. 48, vol. 2).

*Temperamentum lymphaticum et nervosum, celibatus, abusus
voluptatum venerearum sunt causæ quarum non certa est in-
fluentia ; coitus in ætate quâ interdicitur quod nondum genitalia
organa se explicuere professor Richerand refert in quadraginta
casibus carcinomatis in utero undecim feminas antè pubertatem
coitu usas esse.*

Animæ affectiones repercussiones herpetis exanthematis exu-
torii rhumatismatis podagræ organorum sexualium proportio
ætas critica, etc.

DE CAUSIS EFFICIENTIBUS.

Illæ directius agunt in organum ægrotum inflammatio acuta
ex præsertim inflammatio chronica uteri secundum doctorem
Gardien qui eam existimat primum carcinomatis gradum,
abortus rationes criminales ad eos producendos, partus manuales
irritatio directa organorum genitalium masturbatione, usu
inconsiderato injectionum astringentium causâ suppressandi fluo-
res albos pessariis spongiis corpore extraneo in vaginam intro-

ducto commotione communicata utero ictu directo in hoc organum per parietes abdominales : tales sunt causæ directæ quæ hujus morbi terribilis explicationi locum dare possunt.

DE SYMPTOMATIBUS.

Invasio morbi non semper est sensibilis (1). Sæpè nullo dolore, nullo symptomate peculiari annotatur apud fœminas adhuc menstruationi obnoxias morbus menstruis irregularibus annuntiatur. Menstruæ fiunt crebriores, abundantiores, aliquandò accidunt extemplo sanguinis jacturæ copiosæ. Aliquandò nihil tale observatur, aliquandiù supprimitur menstruatio, mammæ fiunt sensibiles, fœminæ experiuntur dolores in lumbis in hypogastro pondus, in digestionibus irregularitates quæ graviditatem annuntiare videretur sed brevi irregularior adhuc copiosior rursus apparet.

Uteri collum est sedes doloris satis vivi per coitum cujus morbus cupiditatem augere videtur; in eo casu coitus levem suscitatur effusionem sanguineam sine dolore apud fœminas quæ criticâ ætate defunctæ sunt videtur, aliquandò supervenire effusio quadam sanguinea et periodica quæ menstruationem simulat, sed ista effusio fit continua, aliquandò abundantissima et veras hemorrhagias redeuntis temporibus plus vel minus remotis constituit. Sæpè mulieres fluoribus albidis copiosis et foetidis afficiuntur.

Ad hæc diversa symptomata accedunt in inguinibus in parte superiori crurum dolores pungitivi lancinantes acuti et rapidi in uteri cervice; sensus caloris, pruriginis, quem ægri referunt ad canalem urethræ. Symptoma quod observavimus et quod aliquandò ægros de sede mali in errorem inducit.

(1) Secundum Bayle et professorem Cayol ulcus primitivum ferè semper carcinoma, cervix uteri, præcedit.

Tum si tactus adhibetur sentimus collum molle, voluminosum, inæquale, in totâ illius extensione vel partim durum in aliis punctis; inhiat orificium et ex illius compressione defluit liquidum serosum, sanguinolentum vel puriforme.

In eo statu plus vel minus diù morbus remanere potest. Si quis tunc collum uteri cum speculo consideret illud invenit solito amplius sparsum maculis rubris distinctis se extendentibus ad labrum anterius granulationes in illarum superficie inveniuntur et rubræ irregularitates; rubor qui comitatur hanc decompositionem organicam ad orificium uteri maximè eminet. Bayle arbitratur ulcerationem præcedere semper carcinoma colli eamque esse primitivam.

Aliquandò collum se exhibet sub formâ fungi cujus summitas est larga in quo medio invenitur collum uteri ulceratum distinctum sulcis madentibus pure sanioso quod ex illis manat.

Effluxio sanguinea continua se commiscet suppurationi quæ ex vaginâ defluit. Symptomata generalia multiplicantur et feminæ quæ hactenus quemdam colorem sat vividum et bonam corporis habitudinem retinuerant, pallent, macrescunt; cibi appetitus deficit, languent digestiones; somnus turbatur doloribus lancinantibus, effluxio magis ac magis abundans secum detrahit globulos sanguinis nigros fætidos vel reliquias organi quod ulcus destruit.

Cutis fit flaccida flavida, colorem paleæ referens; mens afficitur; ægra fit tristis, morosa, vivæ susceptibilitatis; vires eam derelinquunt, ægra incumbit, macies crescit in dies. Diarrhæa vel constipatio, pertinax peritonitides symptomata aggravant, pulsus fit debilis, præceps glandulæ inguinales tumeficat ossa friabilia evadunt⁽¹⁾, carcinoma invadit sensim corpus uteri quod

(1) Attamen omnes auctores non idem sentiunt de hoc phænomeno illud ab aliis admissum, Récamier, inter recentiores, ab aliis rejectum Bayle, etc.

destruit se extendit ad partes vicinas corrodit vesicam rectum et transformat hæc organa in vastam cavitatem quò se colligunt in eodem receptaculo, ut recens exemplum observavimus, materies fæcales, urina quæ manat cum pure per vaginam exhalat odorem fætidum.

Facultates intellectuales in hac media deturbatione intactæ remanent et efficiunt adhuc graviores mortem quæ appropinquat et quæ tantis malis finem imponit.

Si quis consideret, et sequatur cum speculo cujus introductio aliquandò est operosissima, progressus degenerescentiæ colli, hic videt illius longitudinem conosam sensim decrecentem fungosam lividam et fere colore cinereo ejus superficiem ejus orificium inhians sinit manare liquidum puriforme quod ex illius superficie internâ exhalatur.

Ad tactum collum tantummodo exhibet substantiam pulposam quæ brevi ipsa destructa nihil aliud existere permittit nisi annulum tenuem qui digiti introductionem parùm repellit, et per quem possint agnoscere omnes aliæ decompositiones quæ carcinoma comitentur.

Progressio et tempus hæc phænomenorum series inter se plus vel minus rapide succedunt; modo perdurat morbus quinque vel sex menses, aliquandò quinque vel sex annos et ultra; in priore casu carcinoma quemdam gradum vehementiæ acuitatis exhibet, qui celeriter demonstrat omnia phænomena generalia inflammationum quibus succumbit æger antequam uterus altè afficiatur.

Aliquoties gradus ejus est lentissimus; dolor parum vivus et in eo statu ægri ad marasma gradatim perveniunt in quo medio extinguuntur.

Ætasne in tempus morbi influentiam exercet? Experimentiâ probari videtur hanc affectionem lentius procedere, esse minus dolorosam.

Generatim apud feminas ætate provectas quam in ætate juniore : quod quidem animadvertendi sæpè locus fuit et istius propositi etiam nunc ante oculos exemplum habemus in muliere grandæva, id est et octo et quinquaginta annos nata et quæ ab aliquot annis adhuc subsistit cum carcinomate in collo quod invitis hæmorrhagiis quas suscitavit nondum ejus valetudinem modo notabilissimo vitiavit et quamvis uno partu quatuor infantes peperit.

Attamen ex sententiâ doct. Bayle et Cayol ætatis differentia tantummodo leves affert modificationes in gradu symptomatum.

DIAGNOSIS.

Non semper tam facilis quam existimari posset (1) fluores albi fætidî quos comitantur dolores uteri possunt in errorem inducere affectione cancerosâ, præsertim si collum parum est voluminosum ; sed si tactus adhibitus non ea dubia depellit, visus quem adjuvat speculum, tunc facile ea tollere potest et integritatem colli agnoscere, ex illius aspectu lævi, ex colore uniformi et roseo ejus superficiei, ex uniformitate illius textus denique ex normali consistentiâ. Fissuræ quas illius apertura exhibet apud mulieres quæ genuerunt nequeunt ulcerationibus fallere, sive tactu sive visu.

In prolongatione colli observata a professore Lallement Bichat, pars illa retinet consistentiam suamque normalem aspectum et non existit cum his hæmorrhagiis, cum his symptomatibus generalibus quæ carcinoma demonstrant.

(1) Præsertim cum in cavo uteri sedet. Illa distinctio quæ est in practicâ in curatione est magni momenti; patet si collum integrum appareat dum fluit ichor fætidus ex utero et si alia symptomata carcinomatis vigeant.

Polypi possunt aliquandò confundi cum his fungis cancerosis voluminosis colli, hæmorrhagiæ quas secum trahunt symptomata localia et generalia alteratio cutis valent ad errorem nutriendum illique vires addendas cum trans illius orificium proeminent; sed hoc orificium ipsum absentia annuli circa polypum sufficiunt ad eos secernendos et ad colli alterationem denotandam.

Inflammatiō uteri chronica cum carcinomate collis confundi nequit etiam si afficiat collum : aspectus lævis quem retinet absentia cachexiæ cancerosæ terminatio vulgò satis celeris per resolutionem, per valetudinem.

Professor vero Dupuytren sex admittit affectiones. Itaque ut omnia diagnosi necessaria à nobis dicantur nihil melius faciendum habemus quam remittere ad ea quæ scripsit peritissimus ille practicus, Bulletin des Sciences médicales, 1827.

DE PROGNOSI.

Qualiscumque opinio habeatur de carcinomatis naturâ hæc affectio semper est gravis (1) eo difficilior destructa quò injicit altiores radices, quò cachexia cancerosa eminentior apparet. Tunc ægri morti certæ voventur; sed si in quo quidem casu nihil auxilii has nobis offert pro servandis ægris non item est morbo incipiente, permulta exempla nos reficiunt de successibus rationum morbi causâ destruendi directarum. Enim verò, secundum opiniones valentissimas, morbus primum est localis, et secundum opinionem doctorum Bayle et Cayol (op. cit.), uterus est organum tam raro recuperatam in cancerosis affec-

(1) Gravior cum sedet in cavitate uteri quam in collo.

tionibus inspectio cum speculo quæ in eo ulcerationem non patefacit illam a polypo sufficienter distinguit (1).

Corpora fibrosa quæ confusa sunt cum affectionibus cancerosis uteri ab iis essentialiter differunt. Si quidem illius augmentum volumen, signa physica partis vaginalis huiusce organi non mutantur neque functiones neque valetudo vulgò ullo modo turbari possunt.

Ulcera simplicia vel quæ causæ, vitia interna scrophulosa venerea determinaret possunt confundi cum ulceribus cancerosis. Diagnos est satis difficilis sic aliquot casibus doctores Bayle et Cayol referunt in op. cit. Exemplum ulceris simplicis colli uteri, determinati introductione parvuli obturamenti lignei quod femina vigil introduxerat ad coercendam hemorrhagiam quæ obtulit nonnulla symptomatum localium carcinomatis. Inde calculus provenit quod celeberrimus chirurgus carcinoma existimavit quodque curatio inferior perfectè sanavit.

Hæc ulcera simplicia superficialia suo aspectu rubeolo bonæ naturæ suppuratione parum copiosa, præsertim eorum gradu progressibus immunibus horum symptomatum gravium canceris propriorum et eorum causarum natura, ita possunt distingui a carcinomatibus.

Quod attinet ad ulcera scrophulosa quorum Morgagni refert ex. Quod spectat ad ulcera syphilitica, si possunt in errorem inducere eorum signa localia et adducere in fidem ulceris can-

(1) Hic Gardien et Bayle non idem sentiunt. Enim vero Gardien (1) existimat inflammationem chronicam uteri præsum carcinoma gradum Bayle (2) contra senset, hæm phlegmatiam nunquam in carcinoma degenerare quæ quidem opinionum divergentia attentionem stimulare nobis videtur.

(1) *Traité des Accouc.*, t. I^{er}, pag. 568.

(2) *Art. Cancer, Dict. des scienc. medic.*

cerosi symptomata generalia circumstantiæ ex quibus orta sunt mercuria usus in posterioribus, quo cum doctore Cullerier nonnulla sanavit ulcera hujusce generis explicatu in uteri collo prosunt ad dubia depellenda.

Gardien admittit quatuor colli affectiones quæ possunt inter se confundi scilicet inflammatio chronica schirrum carcinoma.

Hæc dispositio opportuna, hæc *localitas* carcinomatis uteri, est maximè propitia successibus excisionis colli et ablationis extirpationis uteri. Absentia harum tumefactionum (Bayle et Cayol), quæ in affectionibus aliis cancerosis adeò cognoscuntur rara quidem in ea nobis multum spei præbent in ablatione partim vel generatim totius organi ægrotantis.

DE CURATIONE.

Quò carcinoma sævit in majorem organorum numerum, quò se ostendit magis formidabile adversus organa quæ afficit et rebellius rationibus adhibitis gratia pugnandi adversus eum, eo majorem ingenium chirurgicum explicuit activitatem ut attingeret, et illud destrueret in altissimis illius radicibus.

In facie, in organis sensuum quæ devorat ferrum, ignis vicissim et feliciter adhibitus est.

In osse maxillari ablatus est in mamma. Radicitus destruxit vestigia illius vitiosæ organisationis. Cum carcinoma esset altius situm instrumentum secans ivit, illud quæsitum in costis, in plævram quam invaserat; in recto, in organis genitalibus nusquam invenit tutius asitum.

Et si illæ operationes illa experimenta audacia non semper secutus est successus, ars et humanitas non debent minores agere gratias chirurgis peritiosissimis qui ea tentaverunt.

Curatio cancrorum colli uteri dividitur, ut omnium aliorum organorum, in internam vel externam.

DE CURATIONE INTERNA.

Non fert animus singula attendere medicamenta quæ administrata sunt et dilaudata in curatione carcinomatis; quorum quidem insufficientia causa fuit cur derelicta sint. Si nullum sit specificum, sunt tamen nonnulla quæ affectionem cancerosam modificare, progressus mali coercere, dolores illud comitantes sedare possunt. Præcipua modò perpendemus, scilicet ea quæ ad nostrum propositum essentialiter attinent.

De medicamentis internis.

Omuia ferè medicamenta dilaudata in curando carcinomate inter venena selecta fuerunt. Ex omnibus medicamentis, ex omnibus præparationibus adusitatissimis, primum locum occupare debet extractum cicutæ administratæ ad dosim 3 i vel 3 ij , et cui Stork attribuerat tantam virtutem adversus affectiones cancerosas (*Disp. sur l'usage de la ciguë, par M. Stork; Paris, 1761*) Pervenerat, hujus auxilio medicamenti, ad sanandas omnes cancerosas affectiones adversus quas illud administraverat; sed experimenta ulteriora à doctoribus Deaken, Fratergisie, et Alibert, qui diligenter renovavit experimenta Stork in centum foeminas et plures, affectas carcinomate uteri, sine ullo successu (*Nouv. élém. de thérap., p. 425*), probant has proprietates inanes esse.

Attamen hæc substantia, præparata vapore aquæ factæ acetice additione parum aceti, orbata suo odore viroso hæc præparatione indicatâ à professore Récamier, hodiè feliciter adhibetur ab illo doctore peritissimo, ut sedans efficax etiam ut curativum, dictæ junctum dilaudatæ, à Calisen indicatæ sub nomine *de Curâ Faroni*, simul cum curatione antiphlogisticâ.

Belladonna, jusquiama, aconitum, laurus cerasea, adhibita

sunt quorum usum secuti sunt iidem effectus atque administrationem cicutæ, et non semel visa sunt coercere progressionem carcinomatis.

Aliæ præparationes, plus vel minus periculose, commoda adhuc minora afferunt, invitis proprietatibus quæ illis attributæ fuere. Talia sunt acidum arsenicum, murias baryti, acetas cupri, carbonas, murias, tartras ferri, occidus aureus præcipitatus per potassam, dilaudata à doctore Chrestien, et à doctore Bayle inutiliter tentata; tandem aqua pura administrata cum dosi quinque vel sex pintarum per quatuor et viginti horas, adhibita cum dieta severissimâ, jactata fuit à Pouteau in cancerosis affectionibus; illud verò regimen solas inflammationes chronicas destruxit. Lacertus cinereus, cute orbatus, vivusque exhaustus, apud Hispanos tam famosus, non efficacior adversus hanc affectionem visus est.

Tandem curatio antiphlogistica repetita sanguinis effusiones propositæ a Valsalva applicationes hirudinum quas suadet Faron frictiones mercuriales, purgativi exutori non effecerunt bonum illis ab aliquot autoribus attributum et nullam directam actionem in virus cancerosum habent, et quidem visæ sunt hirudinum punctiones in collum uteri applicatarum, in ulcera cancerosa mutari; idem de exutoriis dicendum.

De medicamentis externis.

Topici emollientes, cataplasmata farinæ linæ, daucorum staphilinorum, balnea, injectiones, emollientes, duciæ emollientes vel astringentes curationi carcinomatis externæ applicata sunt.

De curatione peculiari.

Hæc affectio cujus ad auxilium incipientis medicus raro vocatur sive quod morbi invasio ægrum latuit, sive quod foemina

quodam sensu pudoris sæpissimè sibi funestissimo existentiam mali dissimulavit, hæc affectio, inquam, ab initio in statu aduto exigit balnea generalia et totalia emissiones sanguinis locales vel generales hirudines applicatas cruribus pone sacrum, injectiones emollientes liquidas vel semi liquidas cum pulicula farinæ linæ, requietem et dietam.

Si dolor sævit confugiendum est ad narcotica exterius et interius adhibenda diligenter præsertim scrutandum est, an ista affectio non pendeat ex vitio scrophuloso vel venereo, et illud curatione propria destruendum est.

Si verò ad statum chronicum pervenit hæc affectio modus, irritationis mutandus est et diducendus ope exutoriorum circa pelvim frictionum mercurialium duciarum ascendendum, sive simplices vel medicamentosæ ex quibus professor Alibert maximam percepit utilitatem. Si carcinoma his invitis rationibus pergit ægra ne suæ miseræ sorti relinquitur?

Jam doctor Bayle possibilitatem indicaverat applicandæ compositionis arsenicalis in uteri collo cancerosi cum professores Dupuytren et Récamier ad cauterisationem recurrunt latam in collo uteri, cum speculo ingenioso, quod invenit professor Récamier ad illuminandum diagnosim et dirigendam affectionum colli uteri curationem.

Ut ea instituatur operatio fœmina ponitur tanquam in partu manuali. Deindè speculum introductum circumscribit accuratissimè uteri collum circumdat illudque a partibus vicinis sexungit. Tunc fit cauterisatio non semel applicato penicillo qui nitrato acidi mercuriali inductus est et postquam chirurgus primo abstulit cum quodam cochleari parvo ex chalybe marginibus secanti, vel eum forcipibus recurvis partes colli vitiatas vel fungosas. Causticus debet remanere unam tantum minutam applicatus in partem cujus destructio optatur; deindè injectiones instituere abundantes in vaginam, ut amoveantur partes cautici

quæ nocere possent. Sedare oportet semi balneis injectionibus inflammationes consecutivas, donec scharræ ceciderint simulque curatione interna vitium aggredi. Quæquidem operationes renovandæ sunt donec malum omninò destructum fuerit harum successus operationum quos toties professores Dupuytrein et Recamier obtinuerunt ; earum probant efficacitatem.

Sed ad quemdam morbi gradum opportuni effectus sperari possunt ? quò superficialior erit ulceratio, eò minorem offeret extensionem, eò efficacius causticus agens textus lœsos facillimè attinget. Sed si altè se extendit degenerescentia, si collum durum ac voluminosum existit, causticus modò lentiore ageretur ; satius est confugere ad operationem quæ celerior et minus dolorosa non exhibet tunc incommodum causticorum qui cancerosis affectionibus applicantur.

DE CURATIONE PER OPERATIONES.

Quùm tanta mortalitas affectionum cancerosarum colli uteri apparet, Osiander primus concepit mali ferro secante auferendi, et in spatio quinque annorum hanc operationem ferè semper prosperè instituit.

Paulò post, professores Dupuytren et Récamier, in Galliam hanc operationem novam introduxerunt. Jam professor Dupuytren septem anno 1815 hujus generis exercuerat operationes, cum evulgavit suum processum mense junio 1819 (*V. Bulletin de la faculté de médecine de Paris*). Ab eo tempore hæc operatio multoties facta est sive ab illo practico, sive à professore Récamier, sive à nostro chirurgo Lisfranc, cum ferè continuis successibus ; enimverò, intrà sex et triginta ægros quos practicus Lisfranc operavit, sive in suo nosocomio, sive in practicâ privatâ, triginta successus obtinuit. Apud solummodò quatuor horum ægrorum rursus apparuit carcinoma ; apud aliam in

jecore, apud alteram in hiene, apud alteram in collo uteri, tribus post operationem mensibus elapsis.

Hujus operationis effectus sunt satis cogniti, facta sunt tam numerosa ut illius commoda faciliè demonstrant; quin etiam parum doloris et periculi quod in operatione existit eam altâ voce dilaudat, illiusque successus carcinoma colli localius esse quam in organis indicare videntur.

Nos non fugit hanc operationem contemptam esse et dubia quidem injuria surrexisse de natura cancerosarum affectionum colli in aliquot casibus, nec certe designatam, nec evidenter probatam fuisse. Chirurgus etiamsi operationem edidisset adhuc esset secutus præceptum Lecat, academiæ chirurgicæ, qui censebat in casibus dubiis operandum esse, operationis innocuitas, pauca illius incommoda nobis potuisset iis consequentiis in exercitatione uteri functionum. Enim verò ex eâ ullæ difficultates nec menstruationi nec partui proveniunt, ut illud probatur ex aliquot observationibus quas referre possemus, et quæ consignantur cum multis aliis, maximi monumenti de nostro proposito observationibus in thesidoct. Avenel, 7 mai anno 1828.

Quod spectat ad partes quas operatio attingit notiones anatomici chirurgicæ consignatæ in thesim D. *Mury* ex inquisitionibus. Practici Lisfranc permittunt in collo uteri satis altè operare, nec timor est ne lædatur sive peritoneum, quod distat à summitate colli septem vel octo pollices posterius, et sexdecim pollices in anteriore, nec arteria uterina, qui tamen proximè se extendit ad extremitatem vaginæ superiorem.

DE PROCESSIBUS OPERATORIIS.

Processus operatorii, quamvis idem propositum attingant, differentias tamen offerunt. Chirurgus Goetting Oriander trans-

figebat cum duobus acubus filo instructis uteri collum in directionibus oppositis, et ope illius fili quem linquebat in partibus trajectis, operator ad collum uteri attrahebat, illud quem rescindebat suprâ ligaturus cum instrumento secante, vel scapello vel forcibus.

Processus professoris Dupuytren.

Processus ille multo simplicior quam præcedens meritò judicatur. Femina ut in partu manuali posita chirurgicus corripit collum uteri cum valido forcipe de Museux ducto ope speculi deindè attrahit hoc organum ad vulvæ orificium et ibi cum solidis forcibus recurvis planè vel cum scapello concavo operationem instituit.

Operationis consequentiæ nullam vulgo curam exigunt levis obturatio vaginæ antiphlogistica aliquando adhiberi possunt ut comprimatur hemorrhagia vel ut sedentur symptomata inflammationis rarissima in eo casu. Aliquot injectiones leviter astringentes possunt opportunè adhiberi quo citius fiat cicatrisatio.

Processus operatoris Lisfranc.

Ille est ferè idem professoris Dupuytren processus. Hic chirurgus adhibet speculum fractum duo forcipes de Museux validiores et scapello concavo.

Doctores J. Hatin, Colombat invenerunt instrumenta privata ut scindatur in loco suo collum uteri et ut vitentur tractiones necessariae in processu quem modo descripsimus; sed quamvis cum illis instrumentis successus aliquot fuerint obtenti habent magnum incommodum, mea quidem sententia præbendi periculum non attingendi limites mali quos agnoscere et judicare ex visu pretiosum est ex processu professoris Dupuytren duci que ita possumus in modificationes quas extensio mali potest exigere.

Sed si carcinoma rescisum rursus apparet, ut Osiander observationes refert, oportet iterum luctari adversus affectionem quæ nunquam ignoscit : nam visa est quarta operatio institui præsertim in sinu maximumque obtinere successum (*Dictionn. des sciences méd., art. Cancer.*) sed tandem malum artis omnia auxilia evincit : tunc oportet malum permulcere, fovere spe inani ægrum morti certæ destinatum ejus dolores sedare narcoticorum usu, reprimere hemorrhagias per astringentia interius et exterius administrata, levia alimenta illi præcipere et in habitu corporis maximam munditiam.

Hæc tantum inutilia auxilia habebamus cum normali medicina Germaniâ et in Galliâ professor Recamier confecerunt et perfecerunt concilium subtrahendi ægros istos morti qui illis imminabat per uteri extirpationem.

DE EXTIRPATIONE UTERI.

Si fides adhibeatur relationibus autorum antiquorum extirpatione uteri nova operatio non esset. Exempla authentica referuntur ab Ætio Pare, Rousset, Vieussens, Wrisberg, Osiander, Baxter, Baudeloque, Desault, Cooper, etc., nec eâ de re dubium ullum relinquunt; sed in iis circumstantiis existebat prolapsus uteri. In aliquot casibus hæc operatio ex errore provenit enim vero credebant ligaturam applicari in polypum donec ea in uterum applicaretur; sæpius præterea, ut Baudeloque observat judiciose, contrarium accidit (1).

Hactenus uteri amputatio tantummodo instituta fuerat ad

(1) Wrisberg refert quamdam obstetricem qua inversionem uteri suscitaverat credidisse hanc esse placentum nimis adherens; illud secuit, sed erat uterus ipse ægra, convaluit invitâ copiosâ hemorrhagiâ quæ istius modi operationem secuta est.

Ulmus factum simile refert: femina periit.

Fabrice de Hilden idem refert p. 409. Siebold quoque simile observavit, uterus exersus secuit; matrona et femine non succubuit huic operationi.

medendum accidentibus affectionum cancerosarum, invitis clamoribus medicorum Zany et C. Venzel adversus hanc operationem. Attamen primùm exercita est à doctore Sauter vigesimâ et secundâ die januarii 1822.

Ex quoquidem tempore, satis sæpè hoc genus operationis institutum est; et illud jam eam notandam efficit, quòd permultiprocessus diversi adhibiti fuere, et conatus operatorum, ut propositum suum attingant, testantur. Tredecim operationes hujusce generis, quæ ad nostram pervenerunt cognitionem, locum habuère; quatuor exempla successuum probant eam posse proficere majoresque successus obtinendos esse, perficiendo processus vel instrumenta operatoria.

Alii abstulerunt longo forcipe uterum ab aperturâ quam instituerunt in lineam albam suprâ pube destructis primùm adherentiis cum forcipibus. (Langenberg, Gutbertet.) secundum hunc processum infelicitè exercuerunt.

Sauter extraxit uterum a vaginâ inciso pariete anteriore hujus canalis ut imum uterum corripiret, eumque anteversum extraheret. Talis est processus quem secuti sunt Siebold, Helcher, Wolff, professores Roux, Recamier, ille solus semel prosperè operavit.

Alii denique vaginum retro secuerunt, ut fieret retroversio in eo sensu et ab eo canali uterus extraheretur. Processus Blundell qui successu coronatus est.

Langenberg dissectione uteri, professor Recamier quadam duplici ligatura supra uterum posita in casu prolapsus adhuc profecerunt.

Per eos processus diversos instituerunt *tredecim operationes* ex quibus *quatuor* bonum exitum habuerunt; alias saltem observationes non cognoscimus (1).

(1) Ex operatis feliciter, tertiæ vivunt adhuc una à Doctore Gallot, anno 1820,

Cum processus Sauter et Recamier sit hactenus maxime generaliter adoptatis; nunc de illo concisam ideam offeremus et remittimus ad opus professoris Recamier cujus lectura erit maximi momenti. Deinde in posteriore loco offeremus non nullos reflexiones quæ ad eam operationem attingunt.

DE CONDITIONIBUS OPERATIONIS SUCCESSUI NECESSARIIS.

Femina nullum debet offerre signorum cachexiæ cancerosæ, uterus vagina debent esse mobilia in pelvi, immunes adherentiarum cum organis vicinis. Uteri dependentiæ sanæ esse debent. Antè operationem rectum et vesica viduenda sunt.

Adjutores sagaces, cauteria ardentia ligaturæ, scapella ad extremitatem obtusa concava longum ferentia manubrium, forfices, acus recurvæ, filamenta linteola, aqua frigida, acetum omnia ea sunt operationi necessaria.

DE OPERATIONE.

Opportet eamponi inextremâ mensâ, paululùm excelsa, in positione quam exigit lithotomia subpubiana, expositam clarissime diei. Tunc operator in vaginam introducit spéculum, cujus ope ducit in collum uteri forcipem validem Museus quorum uteri collum arripit illudque demissum attrahit ad vulvam, ubi illud efficit stabile. Deinde operator transversalem facit incisionem parte anteriore vaginæ, ad pollicem suprâ ejus insertionem in collo uterino. Introducens digitum inter parietes uteri et vesicæ, segungit hæc organa coherentes textu cellulari satis denso, et cavet ne lædat vesicam cujus membrana muscosa tunc nudatur et quæ facilis est dilaceratu.

Pervenit ita ad plexum peritonei quia vesica fertur in uterum : insinuat indicem in anteriorem corporis uteri superficiem.

primus auctor extirpationis ; duæ aliæ à Professore Récamier et Blondel , in mensibus Julii et Augusti ; 1829. Aliæ ferè omnes , post effusionem sanguinis in pelve, post inflammationem peritonei, succubère ; nonnullæ post effusionem urinarum,

Digitus chirurgi petit recurvus latera hujus organi et quærit arteriam uterinam in parte inferiore ligamentorum largorum. Operator eos amplectitur in ligatum latâ cum acu recurva et illius constringit extremitates instrumento quod vocatur constrictor.

Subindè iterùm feres extremum indicem ad plexum peritonei, eum transfodit accuratissimè scapello invaginato. Similem aperturam posteri plexui peritoneali instituit. Dein introducitur digitus in eam aperturam peritonei, dein leviter ducens in faciem palmariam scalpellum recurvum obtusum incidit utroque latere peritoneum larga ligamenta ad collum instrumentum secans demittendo.

Imus uterus corripitur sivè digitis, sivè unco plano, subit motum inversionis; attrahitur foras per vaginam, et terminatur operatio secando forficibus vel scalpello uteri adherentias cum pariete posteriori vaginæ.

Curve superiores in præveniendis accidentibus inflammatoriis.

Professor Recamier suturam non adhibet ad partem vaginæ superiorem claudendam.

Eâ tamen ratione utuntur Langenberg et nonnulli operatores.

Blundell ferè idem agit; dividit plexum utero rectalem peritonei per incisionem transversalem ut correptum eat imum uterum ut det illi motum inversionis cumque foras per vaginam attrahat, tunc conficit hujusce canalis confectionem.

Tales sunt operationes quæ, cum uteri et peritonei dissectione, successibus coronatæ fuerunt. Tempus non nobis permittit experimenta comparativa facere ad judicandum de illis duobus methodis; pauca quidem experimenta quæ fecimus in cadavera nobis revelavit difficultates quæ præsertim nascuntur ex densitate vaginæ in illius parte superiore, ex altitudine imi uteri quem subvertendum digiti difficile attinger possunt. Quamvis organum valde sit inferius forcipe depressum.

Coeterum anatomia chirurgica viam faciliorem minùsque periculosam sinè dubio indicabit, processumque inveniet certiores effecturum successus illius audacis operationis, quæ tam facilis exercitu quàm utilis generi humano fieri potest.

DE VAGINA

ULCERIBUS ET CARCINOMATE.

Vagina, quæ tot relationes cum utero exhibet, cum in functionibus tum in dispositione anatomicâ, iisdem legionibus organicis est obnoxia. Sic ulcera vel simplicia, vel vitio interno canceroso, syphilitico, etc., complicata, sic tumores carcinomatosi, superficiem internam variosque illius textus tenere possunt.

DE ULCERIBUS SIMPLICIBUS.

Superficies vaginæ interna sæpe ulcerationibus affecta variis formâ, causa videtur. Nonnulla, vulnere ab instrumentis secantibus similia, cum dolore, suppuratione procedunt; ex inflammatione orta facilè medelis antiphlogisticis, id est per emollientia generatim adhibita, per injectiones, balnea, otium, sanari possunt, cum non ex vitio interno scrophuloso, syphilitico pendent. Alia, suscitata corpore extraneo, pessario, spongiâ, etc. in vaginam introducta, per illius corporis extractionem brevi sanari possunt. Sic pessarium in vaginâ oblitum claustrum recto-vaginale transfoderat; illud corpus extraneum brevi agnitum, detectum professor Dupuytren extraxit, et quod mirum, illud fistulosum ulcus ferè suâ sponte convaluit. (*Bulletin de la faculté de médecine*, 1820, n° 4.)

Illa ulcera adhuc pendera possunt ex prolapsu *exteriori* uteri. Tum urinæ quæ in partem anteriorem tumor s defluunt vagi-

næ membranam mucosam continuò exulcerant. Reductio, postea otium, emollientia, sedis balnea, etc., nonnunquam emissiones sanguinis locales, tales sunt medelæ curationis adhibendæ.

Lapsus escharæ in partu laborioso, vel per capitis infantis pressionem, vel per applicationem infaustam instrumentorum productæ, sæpissimè fistulosum ulcus detegit, quod in vesicam aut in rectum penetrat, et in vaginam urinas fæcesve conduit. Ulcera illa incommoda, fistulosa, nonnunquam, sed rarò, semper longo tempore post partum, beneficio naturæ sanata visa sunt, sed sæpiùs incurabilia pergunt. At quid non verè chirurgus? Professor Dupuytren, ferrum globulosum incandescens, ope speculi perforati, in vaginam ducit, ulcus fistulosum adurit, et brevi cicatrix densa hanc vitiosam communicationem obturat.

DE ULCERIBUS VITIO INTERNO COMPLICATIS.

Ulcera illa à vitio syphilitico, scrophuloso, etc., fota in variis locis vaginæ internæ sedere possunt.

Symptomata, inter se similia illorum ulcerum, natura visu, dignoscas difficile ad diagnosim dilucidandum symptomatibus generalibus propriis cuique morbo confugiendum est.

Attamen ulcera venerea sæpè sæpius ad vaginæ aditum stant. Illorum limen inæquale vulnus colore livido cinereo circumscibit. Dolor vcerbus, adurens ex illo continuò nascitur, brevi latè extenditur, textus profundè corrodit, et cum sub imperio curationis propriæ, evanuit cicatrix dura remanet, quæ vaginæ aditum obstruit, et sic partum difficilem efficit.

Quamvis illa signa communia sint aliis ulceribus, attamen in scrophulosis, scorbuticis, etc., progressus lentior differt, etc. Sed si dubium existit, recurrendum est ad symptomata generalia de quibus locutus sum.

Carcinoma non vaginam parcit, et veluti in utero ulceris incipientis, insequentisve formam induit. Squirrhosi fungosi tumores parietes hujusce canalis afficere possunt. Hic causæ, symptomata, gradus, sunt omninò iidem ac in utero, necnon differt curatio.

Attamen quùm vagina sit minus alte sita quam uterus, omnia quæ ad curationem attinent majorem offerunt facilitatem. Ad destruendas, illas carcinomatis affectiones incipientes quùm existunt parùm extensæ, tentari potest applicatio compositionis arsenicalis fratris Comiquæ suasa licet ab aliquot autoribus non forsàn caret incommodis ex opinione professoris Orfila qui nobis retextit pericula hujusce caustici. Satiùs esset eas affectiones destruere nitrato mercuriali lato cum speculo uteri vel eas cum forcipibus auferre.

Vagina invadi potest progressibus ulcerationis cancerosæ colli et corporis uteri tunc cum eo organo confusa, sortem eandem experitur.

TUMORES SARCOMENTOSI.

Aliquandò reperiuntur in vaginâ tumores squirrosi, cartilagineosi carcinomatosi. (Morgagni.) Nonnulli horum tumorum in densitate illius parietum explicantur; alii in illius interna superficie coexistunt nonnunquam cum carcinomate uteri. Eorum symptomata, cursus, et terminatio nimis magnam habent analogiam cum carcinomate uteri, ut a nobis exigant descriptionem peculiarem, possunt pro suo volumine partum plus vel minus difficilem efficere (1). Extirpatio est sola curationis ratio quæ illis

(1) Attamen visa est nonnunquam durities affectionum cancerosarum vaginæ et colli uteri, cujus pus virulens non est contagiosum quod probatur et coïtu, dum hæc viget affectio et experimentis professorum Dupuytren, Alibert, Bielt.

opponenda est cum non injecerunt nimis altas radices in organa vicina.

Visæ sunt pullulare in superficie internâ vaginæ vegetationes molles, rubræ fungosæ, illæ excrescentia generaliter parùm dolorosa hunc ductum aliquandò implent dant locum effluxioni mucosæ purulentæ et hemorrhagiis sæpè copiosis. Coitus est dolorosus et detrahit nonnunquam fragmenta plus vel minus voluminosa ab illis vegetationibus quæ brevi reproducuntur.

Ab initio naturæ syphiliticæ illæ excrescentiæ sæpissimè fiunt cancerosæ; postulant igitur ab origine curationem antiveneræam vel si perstante carcinomatæ curationem accommodatam.

Denique ipsi vaginæ parietes possunt fieri callosi sicque ad stadium cancerosum transire tum canalis arctissimus fit, copulationis actus et parturitio dolorosissima et aliquandò impossibilia.

Hæc alteratio est nonnunquam consequentia inflammationis venereæ chronicæ quæ destit per indurationem. Potest provenire ex abusu injectionum astringentium.

Arctitus vagina duritia parietum hujus canalis signa communia affectionibus cancerosis diagnosi basim offerent. Cavendum est ne confundatur hæc affectio cum prolapsu. Giraud, chirurgus, quamdam vidit foeminam apud quam collum uteri contraxerat adhærentius cum aditu vulvæ per consequentiam prolapsus.

Hæc affectio rara eandem postularet curationem quam cancerosæ recti affectiones.

Dilatatio per compressionem, per introductionem filamentorum

Visa sunt, inquam, vagina et collum cancerosa per partum dilatari. (Prof. Dubois refert exempla istius generis.) Aliquandò oproatet ad sublevanda obstacula istis affectionibus allata cellum uteri et vaginam lateraliter dividere, uti suadet Desgranges.

rum quæ gradatim volumine crescunt. Si pars inferior hujus canalis sola afficitur, si canalis ille partibus vicinis non adhæret, posset forsitan feliciter institui operatio cujus practicus Lisfranc tam felicem carcinomatibus recti applicationem fecit.

CONCLUSIONES.

Ex omnibus quæ diximus de carcinomate de illius naturâ et causis opinamur cum Bayle et professore Récamier quamdam in nostris organis existere susceptibilitatem latentem, quam ad istam affectionem proclivitatem quæ hereditaria vel acquisita esse potest.

In suâ origine carcinoma esse locale, quod probatur effectus per compressionem et ablationem obtenti;

Ablationem colli esse operationem quæ cum rectissimè instituitur, periculo caret, et semper etiam in casibus dubiis tentari debet;

Ablationem uteri cancerosi esse eò faciliorem atque feliciorem quò uterum esse in statu prolapsûs magis completo;

Hanc operationem, licet difficilem in suis periculosam consequentiis, tamen cum suas naturales relationes retinuit, organum maximè estimandam esse cùm ea sola adversus morbum lætiferum luctetur.

FINIS.